

**Tractatus physico-medicus de stimulantium natura in corpora viventia
agentium / auctore Samuele Lynch.**

Contributors

Lynch, Samuel.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasgow, 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d9drp2f7>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TRACTATUS PHYSICO-MEDICUS,

D E

STIMULANTIUM NATURA,

IN CORPORA VIVENTIA AGENTIUM.

AUCTORE

SAMUELE LYNCH, M. D.

EX INSULA ANTIGUA.

GLASGUA E:

IN AEDIEUS ACADEMICIS, EXCUDEBAT

ANDREAS FOULIS,

ACADEMIA TYPOGRAPHUS.

M.DCC.LXXXV.

C

Fonsis index

Not in *Gaskell*
Digitized by the Internet Archive
in 2016

THOMAE LYNCH,

IN INSULA ANTIGUA,

MEDICO,

FRATRI SUO CARISSIMO

SAMUEL LYNCH.

S. P. D.

Quoniam moris, summum in medicina honorem petitum, est, primos suorum studiorum fructus alicujus patrocinio dedicare; si igitur ei mori mihi quoque obtemperandum erat, cui potius hoc opus, quam tibi, cuius patrocinio protectus, amicitia cultus, fraterna pietate fotus, affectu paterno adamatus sum, erat offerendum? Accipe igitur aequi bonique, ut memoris tantorum officiorum, tam rarae inter fratres gratiae, animi testimonium. Vale.

DOMINI LXXXVII
M. D. C. L. X. I. M. D. C. L. X. I.
Dom: Jeffray
hoc opus, cum
Optimi gratulationibus
presentat
Auctor

TRACTATUS PHYSICO-MEDICUS

D E

STIMULANTIUM NATURA,

IN CORPORA VIVENTIA AGENTIUM.

P R A E F A T I O.

IN omni philosophiae parte, magisque in medicina, quisque doctrinam a vulgo receptis scriptam tradit; ad eum reddit, propriarum opinionum, et ab aliis dissentionis, causam exponere, reddere rationem. Quoniam igitur id mihi usu venit, ut a vulgo receptis, non solum hic, sed in tota Continente placitis toto coelo recesserim, ut novam prorsus medicinae rationem proposuerim; quo certius tantae rei causam expediam et legentium satisfaciam desiderio; breyem institutionis meae in re medica historiam per texendum, per XIII. supra annos, putavi. Horum annorum XI. prius in artis tyrocinio, dein in usu, reliqui duo, et amplius, in Academia Edinensi praeterierunt. Illic nullam non adripui discendi occasionem, five quae in publicis et privatis scholis tradebantur, five frequentia cum ingeniosis studiosis colloquia et disceptationis, subinde aliquid ad cognitionis summam adlatura videbantur. Primis XI. annis, quia nihil ex cathedris docebatur, multae pro ratione fructus, maximaque anatomicae cognitionis, accipiendo occasiones non suppetebant. Eoque ad observationem

A

curationum imitationem et librorum lectionem, decurrentium solum erat. Ex quo fonte lutulento, postquam Edinburgum per-
 ventum est, nihil, nisi ex doctrinis prioribus, maximeque Boerhaa-
 viana, Culleniana, confusa farrago speranda erat. E contrario
verem multiplicem quacunque medendi usum, aptiorum me ad verum a
 falso distinguendum, meris in usu tyronibus, fuisse redditurum,
 erat credibile. Quae res cum ita esse plerisque videretur; XV.
 tamen menses in Academicis Edinburgi studiis, prius praeteriere
 quam haec tenus erravisse me percepi. Et, erraturus ad infinitum
 eram, nisi ingeniosissimus, et jure mihi carissimus amicus, cui jam
 et recta via, et inde deviis undique error, penitus erant cognita
 Laurentius Walsh, M. D. Hibernus, in vasta solitudine me de-
 prehensum, DOCTRINAM SPASMODICAM contemplantem, VIN-
 MEDICATRICEM admirantem, nec ullo modo circumspicientem
 aut, qua ratione inde exire possem, cogitantem, ac ne, quo in loco
 essem, consciuum, eodem modo expediisset, quo ipse olim erat ex-
 peditus. Sed, cum tantam solitudinem, priorum casuum memori-
 etiam suspectui haberet, et novos errores timeret; commonstrat
 mihi prius periculo, fido me amico, qui que jamdudum vastar-
 regionem omnem exploraverat, Joanni Brunoni, M. D. ducer-
 commendavit. Is, suscepito libenter negotio, per omnes anfrac-
 tus, asperitates, arenas subdolas, vortices, abyssos, et praerupti
 undique saxa, interdiu tanquam VERI, noctu tanquam PERSUA-
 SIONIS ET CERTAE FIDEI, COLUMNA, optantem et gaudentem tu-
 tum demum, eduxit.

Jamque tantis expedito periculis reliquum est, ut aliquid
 ipso opere dicam; quod, pro observationibus, inter iter e solitu-
 dine faciendum, haberi potest. In tria capita dividitur; primu-
 DE STIMULANTIBUS AD SUMMAM, alterum DE RECTIS iisdem, quae
 ejusmodi esse intelligenda sunt, quae, corpore vivo admota, i

cundam valetudinem, s̄thenicos morbos, et indirectam debilitatem, parient agit; tertium DE INDIRECTIS STIMULIS, quae ejusmodi sunt, ut, quanquam stimulent, tamen id non fatis, ad secundae valetudinis propria praestanda, faciunt; unde aut ad rectam debilitatem opportunitas, aut illa ipsa, aut in ea positi, asthenici morbi, nascuntur.

C A P. I.

QUALIA AD SUMMAM STIMULANTIA SINT.

STIMULANTIA eae potestates sunt, quae, corpori vivo admotae, in eo mutationem ¹, vel debilitando, vel, vigorem dando, creant; eoque, prout debita ratione, secusve eadem admoventur, ab eorum opere, tam secundae valetudinis, vitaeque, quam morborum et mortis, ² et curationum, propria pendent. Ad quam rem simul confirmandam, et in clariore monumento ponendam, pauca vocabula, quae saepenumero in hac charta adhibebuntur, explicanda sunt.

INCITABILITAS est ea corporis vivi proprietas, qua vel recta, vel eventu, ab alienis potestatibus adfici potest, quaque corpora viva a se mortuis vel inanimi quavis materia differunt ³. Potestates recta admotae, id est, stimuli recti, vigorem vel incitationem, pariunt ⁴ et supra modum admotae, ad s̄thenicos morbos opportunitatem ⁵ hosve ipfos ⁶ creant, atque etiam ultra

¹ Kewley de incitatione xvii.

² Brun. elem. med. xxii.

³ Brun. elem. med. x. xviii. xlviij. Kewley de incitatione iii. xiv. Jones's inquiry, p. 93. Webster. clar. praelec. mater. med.

⁴ Brun. elem. med. xvi.

⁵ Ibid. viii. lxxiiii.

⁶ Ibid. lxvi.

tentae corpus in indirectam debilitatem ¹ et ab hac pendentes morbos conjiciunt ². Contra quoties eadem indirecte, seu stimulorum indirectorum more, admoventur, tum corporis incitatio ad rectae debilitatis ³ periculum, dein ad morbos in hac positos, redigitur. Verum, ut, quo modo stimulantia in incitabilitatem agunt, clarius intelligatur; corpus thermometro comparatur. In hoc ea facultas est, qua corpus a calore et frigore adfici potest. Haec facultas cum corporis vivi incitabilitate conferatur; ubi humor in thermometro ad incitationem auctam surgit, et ad hanc imminutam descendit. Hic calor, quod et verum est, altos vel rectos stimulus, in corpora viva agentes, frigus, quod postea quoque demonstrabitur, deficientes vel indirectos, representat.

Sic inter se comparatis corpore vivo cum incitabilitate et thermometro; de incitabilitate ita deinceps, ac de thermometro, verba fiant, eamque a potestatibus tam extrinsecus, quam intus, agentibus, ita ut thermometer a calore et frigore adficitur, adfici posse, ostendetur, semelique ratione incitationem modo augeri, modo imminui, commonstrabitur. Nam, ut calor et frigus plus minusve in thermometrum agunt pro majore eorum vel minore vi; sic stimuli in incitabilitatem eadem prorsus auctae vel imminutae magnitudinis ratione agunt. Quam rem tabula relata illustrabit in qua duplex series est, altra incitabilitatis, incitationis altera. Et ibidem cernitur, cum augetur incitatio, incitabilitas eadem prorsus ratione decrescere ⁴. Uraque series in 80 gradus dividitur, et secunda valetudo ⁵ in medio, scilicet, punto 40; ubi incitabilitas et incitatio pares sunt, collocatur ⁶. Quoties nimia stimulorum vis admota est, incitatio prius ad sphenicorum

¹ Brun. elem. med. xxviii. ad xxxviii. Jones's inquiry, p. 114.

² Ibid. p. 66, 67. ³ Brun. elem. xxxviii. ad xlvi. ⁴ Ibid. xxxix, xl.

⁵ Ibid. iii.

⁶ Ibid. xxv. Kewley de incitatione xxvii.

morborum periculum, 50° notatum, adsendit; incitabilitas ad 30° descendit. Quod si plus stimulorum adhibitum est, licet minus potenter quisque agat, quam ubi incitabilitas magis abundabat; ea tamen potentia agunt, ut, supra 50° ascendentibus, pro sthenicorum morborum periculo, hos ipsos ea lenitate, quae in serie a 50° ad 60° notatur, inferant¹. Hos in tabula, crescente usque majis stimulorum vi, major sthenicorum morborum excipit vehementia, scilicet a 60° ad 70° collocatorum. Supra hos, scilicet, inter 70° et 80° , stimulantes operis vi ad extremum tenta, nihil, nisi indirecta debilitas², restat, et hanc supra mors³.

Quoties igitur aliquis, ad ullum opportunitatis, leniorumve aut vehementiorum morborum, a 40° ad 70° seriei gradum, attollitur; vehementes potestates stimulantes subducantur, et indirectae, una cum sanguinis detractione, alvi purgatione, et aliis attenuantibus auxiliis, admoveantur, opportebit⁴. Quod si porro eo magnitudinis extremae incitatio provecta est, ut indirectam debilitatem alicubi inter 70° et 80° positam, inducat; in hoc casu, propter tantam incitabilitatis imminutionem, diffusibilem stimulorum summis cuiusmodi spiritus Gallicus, aether, opium, et alia sunt, administrandi erit necessitas; idque, ad debitam incitationem sustentandam, et mortem avertendam, faciendum est⁵. Ad quod efficiendum, et perficiendam curationem, hi directi, vel diffusibles, stimuli aliquantum temporis continentur, et doses paulatim imminuantur, erit necesse; donec ita incitabilitas abundabit, ut ad semi consumptum statum, 40 puncto notatum descendat⁶.

Contra, ubi postquam secunda alicui ab omni parte valetudo

¹ Brun. elem. xxiii, xxiv. Kewley de incitatione xxix. xxxiii.

² Element. med. xxviii, xxix. xxxv. cii. Kewley xlvi.

³ Elem. xxiii. Jones's inquiry, p. 87. 88.

⁵ Ibid. ciii.

⁶ Ibid. xxxiv. dclxxxii, et passim.

⁴ Elem. lxxxviii. xciv. ccccv.

incidit, stimuli deficientes seu indirecti forte admoventur; hac ratione, absentibus stimulis vehementioribus, incitatio prius ad morborum asthenicorum periculum, quod in tabula 30° denotat, decidet, incitabilitas ad 50° adsurget; mox, vehementioribus stimulis etiam magis suspensis, et deficientibus solis admotis, leniores asthenici morbi, inter 30° et 20° dispositi, suborientur; et crescente etiam eodem opere, vehementiores, a 20° ad 10°, et vehementissimi a 10° ad 0 in tabula defixi, postremo certa mors, subnascentur ¹. Ad quemlibet modo relatorum debilitatis graduum medendum, curatio, ut e priore casu disci potest, a summis stimulantibus parcus prius adhibitis, dein, pro decrescentis incitabilitatis ratione paulatim largius, pendeat necesse est ². Ea enim vivi cuiusque corporis natura est, ut, quo vehementes vel diffusiles stimuli magis sint adhibiti, quo incitationis plus succreverit, eo incitabilitas magis consumatur, eoque potestatum incitantium plus usque in auxilium requiratur ³. Quae curandi in hoc casu ratio, si rite observetur, et non ultra modum tendatur, paulatim incitationem ad secundae valetudinis modulum, nempe, punctum medium 40 pervehet.

Ex supra dictis, morborum et mortis propria, aequa, ac secundae valetudinis vitaeque corporibus vivis naturalia esse, patebit ⁴. Quod etiam magis corporibus humanis usu venit, quae quotidie victus, aëris, et magnae rerum, modo gratarum, saepius injundarum, varietati, item tam mentis, quam animi, facultatis varietati pari objiciuntur. Quo in casu raro vel nunquam perfecta valetudine, forsitan non duodecies toto anno intergram diem, utimur. Utque, in tempestatum in constantia mercurius in ther-

¹ Elem. Med. xxxviii, xxxix, xl, xli.

² Ibid. xlivi. Dclxxx. Dclxxxii.

³ Ibid. xxiv. et passim.

⁴ Gaubius pathol. i. Brun. clem. med. lxx. lxxi. lxxii.

mometro raro biduum in eodem puncto permanet, sed vel supra, vel infra medium punctum surgit deciditve; sic idem prorsus corpori humano, et praecipue virili, quod, in liberiore vitae generae, multis noxis adficiatur necesse est, accidere periclitatur. Hinc vel versus sthenicam vel asthenicam diathesin maxima ex parte vergimus. Hac re sic perpensa, omnem rem corpori admotam, vel extrinsecus vel intus, aliquo modo stimuli usu, recta vel eventu, fungi apparet, ultimamque utriusque stimulorum generis finem esse eundem, nempe, mortem; cum eaedem potestates, rite admotae, vel secundem valetudinem vel paucos supra infrave gradus, efficiant. Cumque potestates per vices prius fere admoventur, quam ad gradum, in quo morbos, quos debilitas ultravis continet, perveniantur; ea res in causa est, quod neutrius ultimus effectus toties suboritur, quoties fieret, si potestates constantur incubuerent. Indidem etiam constat, aequa saepe nos versus adversam, ac secundam, valetudinem, vel etiam saepius, vergere. Porro, ex iis, quae de stimulis utramvis debilitatem parentibus, dicta sunt, patebit, aliquem indirecta debilitate, ex nimio stimulorum opere, laborantem, his summotis, protinus in rectam debilitatem mortemve, incasurum¹. Contra, ubi incitatio, post deficientium stimulorum usum, plurimum imminuta est; inde incitabilitas tantopere accumulabitur, ut si summi stimuli subito et large admoveantur, aequa subito augeatur incitatio, eoque indirecta debilitas, et mors, vel protinus incident, vel sthenica saltem diathesis exoriatur².

Ad summam igitur, vitam et mortem vivis corporibus pariter naturalem esse, et utramque a potestatibus stimulantibus, vel rite, vel nimis aut parum, incumbentibus effici. Hinc, duo morbo-

¹ Brun. elem. med. cvi.

² Ibid. cix. cx.

rum genera, vel potius duo tantum morbos, forma variantes, scilicet, sthenicum et asthenicum nascituros stimulis sequitur¹: quibus vel additis vel subductis eos morbos tolli, scilicet asthenicum magnis et directis stimulis, sthenicum defidentibus, manifestum est². Postremo tam vitam et salutem, quam morbos et mortem, pariter naturalia esse, et e potestatibus stimulantibus rite secusve agentibus, pendere, uno potionis et escae exemplo, declaratur. Quos omnino negatos mors subsiquitur³. Et e contrario nimia earundem indulgentia, aequo certo morbum, aut in majore excessu, mortem adducit⁴. Verum, mediocris earum usus sanitatem vel ex omni, vel e magna parte parit⁵.

Haec de stimulantibus genere, satisque ad propositum, ex quo hoc caput exorsus sum declarandum, ad proximum deinceps progressiar.

C A P. II.

DE RECTIS STIMULANTIBUS.

POTESTATES, ad hoc caput attinentes, ejusmodi sunt, quae incitabilitati admotae, tam secundam valetudinem, quam quemlibet gradum supra eam; eoque secundae valetudini propria, morbos sthenicos, et ex indirecta debilitate asthenicos, denique, exhausta stimulo incitabilitate, mortem, procreant.

Easdem expositurus in tres sectiones dividum: sub prima, EXTERNO⁵ STIMULOS commemorabo; cujusmodi sunt calor, lux, aër, contagio, exercitatio, cibus, potio, condimenta, sanguis, et

¹ Brun. elem. xxiii. Jones, p. 93, 98, 241.

² Brun. elem. lxxxviii. ad xciii.

³ Jones's inquiry, p. 68.

⁴ Ibid. p. 113, 114.

⁵ Ibid. p. 125.

inde secreti humores¹: sub secunda comprehendentur affectus animi²: sub tertia stimuli diffusibiles exponentur.

S E C T. I.

D E S T I M U L I S E X T E R N I S.³

CALOR pro certo recta stimulans potestas est⁴, utpote cuius supra thermometrum actio sit ad magnam altitudinem attollere mercurium; neque ejusdem minor super plantas et animantes vis est: utpote ex cuius magna ex parte actione universa vita pendeat⁴. Sic, unaquaque hyeme, hortularios videmus in callidis cellis fructus quosdam nutrire; quod certum, eorum vitae ex calore pendere, indicium est. Rursus in Indis Occidentalibus planta mihi nota est, cuius flores quotidie quarta post meridiem hora panduntur, quaeque QUARTAE HORAE nomen naæta est: Est jalapii species si non verum ipsum jalapium. Quarta autem hora calidissima diei illuc est. Simul vero ac sol occidit, flores iterum collabuntur, nec denuo, ante eandem postridie horam expanduntur.

Quod ad caloris vitae animantium necessarium usum attinet; nulla hyems ubivis fere advenit, quin calor ex veste et amplis ignibus, ideo necessarius sit, ut incitatio debita servetur, et gratus sensus, quae calor appellatur, pariatur. Eodem pertinet ratio, qua pullorum, et ovi pararum animantium, ova nascuntur; priora, per lenem accubantis matris calorem, aliquamdiu continuatum; posteriora, praecipue in testudine Indorum Occidentalium,

¹ Elem. med. xi. cxxiv. ad cxxxii.

² Ibid. xii. Jones's inquiry, p. 68.

⁴ Elem. med. cxii. cxxiii. cccxix.

³ Ibid. p. 68.

quae ova in arena deponit et testa relinquunt, ubi arenæ proprius calor, vel potius jubar, nascentem animantem fovent, illustrantur.

Quoniam igitur calor universæ vitae necessarius est, et ad secundæ valetudinis modum incitationem ad tollit; rectus igitur, ex definitione ejus vocabuli supra tradita, stimulus fit necesse est. Verum enim vero, si calor liberius justo admoveatur, sphenici generis morbi ¹ cuiusmodi catarrhus ², peripneumonia, et similes alii, concitantur. Hi morbi facilius Hiberno tempore, ubi frigus et calor alternatè admoventur, erumpunt; si quidem gelido frigore, intrantes domum, natura ad ignem ducimur; eaque ratione morbi relati aliqui similes gignuntur ³. Actione enim frigoris incitabilitas adeo crescit, ut, frigore admoto repente calore, hujus potentius opus eveniat. Eadem haec causa est, quod, verno tempore, adeo catarrhalibus et peripneumoniis, maxime post longam et frigidam hyemem, adfectibus fumus opportuni ⁴. Si caloris stimulus constanter, et magna vi, nullo frigore interveniente, alicui incumbuit, incitabilitas adeo exhauretur, ut in indirectam debilitatem, et proprios ejus morbos; cuiusmodi sunt apoplexia, paralysia, febris maligna, et maxima pars morborum, sunt, et tandem in mortem, implicetur ⁵.

Ut lux proxime consideretur; actio ejus plantarum saluti necessaria videbitur. Itaque non exempla desunt, ubi planta, in tenebrosa cellula posita, minimum, idque cum per quam pallente flavedine, crevit, admissaque per parvam rimam luce, tam magnitudine, quam calore cresceret, semperque ad locum, quo lux intromissa est, maxime si vitis esset, vergeret, exereretque per rimam membra ⁶. Porro plantae, quae in vasis et juxta fenestras

¹ Eod. loc.

² Elem. med. ccccxi. Jones's inquiry, p. 100, ad 104.

³ Elem. Brun. cclxxxiii.

⁴ Eod. loc.

⁵ Elem. med. cxv. cxvi.

⁶ Celeb. Black, in prælect. chem.

sustinentur; etiam si fenestrae ad septentrionem vergebant, ubi jubar nihil efficere poterat, semper ad lucem faltem, id est, fenestram, membra dirigunt; et, e contrario, ubi vas in aliam partem ita mutatur, ut plantae pars, quae versus fenestram inflexa erat, introrsum verteretur; paucis diebus, prius recta sursum surgunt, et tandem rursus ad fenestram se convertunt¹.

Lux vitae plantarum necessaria est, sive phlogisto, ut magno nostro professore medico Black², placet, sive alio vocabulo insignetur. Attracta a plantis, viridem iis colorem impertit; ut ex sequente, experimento patet. In insula Antigua, patria mea, duae lagenae, in septentrionali fenestra positae sunt, altera preparatum calomelanem, altera tartarum emeticum, continentes. Quo facto eae utriusque laginæ partes, in quas illucebatur, semper atrum magis colorum, quam aliae partes, quo lux minus admissa est, representarunt; et, concussis humoribus, relictae immotae, paucis diebus eundem effectum ostenderunt.

Si inter animantes et plantas rationis similitudo respicitur, et, quantum lux oculos adficiat, spectatur; eadem res firmabitur. Ita, cum e tenebris et profundo somno, exitur, claudere oculos necesse habemus, neque, nisi paulatim, sensim, et quasi gradatim, ad eam revehimur, tolerare lucem possumus. Quae res rectum stimulum lucem esse, tenebrisque aut somno, remota luce, oculorum incitabilitatem adeo accumulari, ut rectus lucis stimulus retinam magis commoyeat³, ostendit. Eodem principio posito, postquam lens depressa vel extracta est, ubi aegrotans luci subito exponitur, caecus evadit, ratio reddi potest: si quidem catarractus, lucis radios a retina intercipiens, hujus incitabilitatem adeo accumulat, ut, lucis subito admissae vis, nimia sit, et inde indirecta debilitas creata, visus amissionem, inducat⁴.

¹ Celeb. Black, in praelect. chem.

³ Elem. xxvi.

² Ibid. et elem. med. ccxix.

⁴ Eod. loc. et passim.

Quod si intenta in solem, aut magnum lumen, constanter oculorum acies, aut alio modo lux in retinam intentius penetrans, inflammationem et amauroositatem seu visus amissionem peperit; hujus amauroositatis indirecta debilitas, eoque consumpta, ad extremum incitabilitas, causa est ¹. Ad argumenta relata sustentanda, res, omnibus Indis Occidentalibus nota, referenda est, scilicet lunae in inanimem materiam vis. Ubi, admissa lunae ad carnem luce, proximo mane, putrida caro evadit. Idemque pisibus usu venit, qui nocte, et lucente luna capti, proximo die putrefescunt.

Quod ad AĒRĒM attinet; ut alia ejus genera praetermittantur, aēr communis directus stimulus esse videtur ². De effectibus ejus in spiritu sustentando non loquor, qui nullis non manifeste sunt. Sed stimulantis ejus operis vis, hactenus omnibus incognita multo temperie major videtur, dum temperies, excepto fanguinis invasis impetu, reliquis omnibus major est ³. Hinc fit, ut septentrionales Europæ gentes, et monticolae Scotti, adeo plus viribus, quam Australes, et magis etiam, quam plagam torridam occupantes, valeant; propterea quod purior aēr in illis, quam his, regionibus est. Ejusdem aēris stimulus, simul ac aliquis natus est, in actionem, qua thorax amplificatur, et pulmones inflantur, spiritusque ade durante vita sustentatur musculos conjicit. Ejusdem stimulatricem vim ostendit, in omnibus corporis partibus, ut ab domine, et experte cuticulae cute, perflatis, thorace, inflammatio prius, mox gangrena, nascens ⁴.

CONTAGIO mihi, quo magis ejus naturam perpendo, eo magis rectus esse stimulus, quamquam omni ex parte recti stimuli definitioni, minus congruit, videtur; quippe quae magna vi stimulatione

¹ Eod. loc.

² Jones's inquiry, p. 68.

³ Elem. med. cxlv. clxvi.

⁴ Clas. Monro praelect.

trice incitationem morbosam, ut in variola, rubeola¹, peste, dysenteria, febribus malignis, in quibus omnibus synocha evenit, excitet. In variola, ubi aliquis plenum habitum habet, propterea quod, ante morbi adventum, pleniore vietu usus sit, factoque morbo noxae excitantes magna vi incubuerint; diathefis sthenica tantam magnitudinem adipiscitur, ut nisi protinus attenuetur et debilitetur corpus, indirecta debilitas superveniat, et in typhum synocha vertatur. Ob quam causam, quoties inoculatio instituitur, apud prudentem quemque medicum regula est, incitationem prope ad rectae debilitatis periculum, admotis stimulis deficiensibus, id est, auxiliis debilitantibus, deducere². Quo facto, contagionis stimulus incitationem non altius attollit, quam ut mitis synocha suboriatur, pustulaeque paucae, et aliorum symptomatum lenitas, consequantur³. Eadem explicatio ad rubeolam pertinet; in qua quoniam diathefis sthenica magna est, si attenuans et debilitans medendi ratio non adhibetur, indirectae debilitatis morbus, qualis phthisis est, incidet⁴. In peste, contagionem rectum stimulum esse, nulla non credendi causa est: subita enim portitorum Mafilienium⁵, in meribus, ex regione, quae LEVANT nuncupatur, solvendis, mors, contagionem pro recto stimulo egisse et apoplexiam fecisse, arguit. Nam, ut plebecula Gallica male alternatur, eorum incitabilitas abundantior est, eoque contagionis opus potentius evenit, et indirectam apoplectici generis debilitatem, et mortem, intulit. Idemque de Turcis misere viventibus, et eodem morbo toties pereuntibus, discendum; in quibus plurimo incita-

¹ Jones's inquiry, p. 100. Vid. etiam Hug. Brown disp. inaugural de morbis, et Brun. element.

² Elem. med. ³ Ibid. ⁴ Ibid.

⁵ Traité de la peste, pag. 41. Jones's inquiry, 68. et praelect. et Cullen, et Brun.

bilitatis abundantibus, magnus contagionis stimulus, tanto magis evalet¹.

Quae de contagione pestifera dicta sunt, eadem de dysenteria et febribus malignis viventes, fere occupantibus, dicenda. Quorum initio sthenica diathesis, semper evidenter obvenit, nec, nisi ubi magna contagionis vis, cum aliis magnis stimuli conjuncta admota est, ut in typho castrensi, vel carcerum, videre est, eoque febrilis forma ex indirecta debilitate incedit, anceps est. Porro aliquid Masiliensium portitorum fato simillimum, in Flandria, anno 1743, accedit: ubi e viginti tribus artificibus, quorum opera ad tentoria aegrotantium labe infecta reficienda, adhibita est, septemdecem febri mala extincti sunt².

EXERCITATIO, sub qua ambulatio, saltatio, et in rheda, equo gestatio, item fricatio, comprehenditur, eo valetudini necessaria est, quod incitat, et, nimia, indirectam debilitatem et mortem infert.

Ambulatio, modo modica sit, recti stimuli vice fungens, incitationem ad idoneum secundae valetudinis modulum, servat et immoda, indirectam debilitatem, ut in laßitudine et langoris sensu cernitur, adducit³. Quo in statu, finitam ambulationem, frigidae haustus claudens, indirectae directam debilitatem adjicit⁴. Verum contraria plerorumque consuetudo est, itinere finito, spiri-

¹ Ab hac mea de contagionibus sententia optimus magister ita dissentit, ut propriae ipsius de eadem hac re, utpote subtili, nec tam facile exploranda, quam alia fere omnia apud illum, sunt, quae ad certam evidentiam, severissima scientia dignam, deduxit, non valde pertinax sit. Vid. ejus de hac re passim per librum rationationem elem. med. xi. xvii. xx. xxi. lxxvi. lxxvii. lxxv. a cccxv. ad cccxi. a ccclxvi. ad ccclxxxii. a ccccxvi. ad ccccxiv. a ccccliv. ad ccclxvii. cccclxxviji. cccclxxxix. ccccxci. nxcii. del. a nclxiv. ad nclxx. et a nclxxij. ad partem libri quintam.

² Sir John Pringle on the diseases of the army.

³ Brun. elem. cxxxvii.

⁴ Ibid. xlvi.

tum faccharinum dilutum sumentium, et sic incitationem paulatim imminuentium. Idem in equis, longo itinere peracto, usus obtinet; qui aliquandiu lentius ambulare aut fricari, et sic incitationis paulatim imminutionem subire, adsuescunt.

Saltatio, easdem, quas amulatio, rationes recipit; nisi quod, propter exercitationis vehementiam, plus sthenicae diatheseos, et indirectae debilitatis, periculum aditur.

Optima exercitationis forma gestatio in equo est; quippe quae non solum membra, sed et canalis alimentarii motum peristalticum, excitet, et debitam incitationem servet, nec indirectam debilitatem inferre periclitetur. Ubi aliquis, propter abundantem incitabilitatem, gestationis in equo stimulus minus habiles ferendo est; rheda vel navigio vehi cito incitationem eo magnitudinis preferet, ut equo vehi tuto, dein possit.

Fricationis stimulus ideo utilis est, quod debitam exhalantis et absorbentis vasorum generis incitationem servat, et, ut idoneis suis officiis fungantur, efficit.

CIBUS omnium potestum stimulantium maxime necessarius est; utpote e cuius debita copia et genere vita magna ex parte pendeat¹. Genus ejus, quod maxime convenit, eoque ex animali materia conficitur, recta stimulat, cum e contrario, quicquid e plantarum genere sumitur, stimulet quidem, sed indirecte, properea quod, neque satis sanguinis, neque tam bonum hunc, quam altera materia, procreat². Carnea materia vigorem, ferociam summumque robor, ut in Leone, Tigre, et similibus carnivoris animalibus, videre est, progenerat. Contra materia ex plantis petitia mitem, ut in Bubus, Ovibus, et similibus graminivoris animalibus, usuvenit, efficit naturam. Quod vero ad hominem

¹ Elem. med. cxxvi. Jones's inquiry, p. 68.

² Brun. elem. cxxviii. cxxx. cxxxiv. Jones's inquiry, a p. 258. ad 262.

attinet; ei, dummodo bene valeat, utraque materia, convenit; ut ex ejus, et aliarum animantium, dentibus inter se collatis, qui medium formam utriusque animantium habent generi, colligitur¹. Verum, ubi aliquis debilitate, sive recta sive indirecta, laborat, ei carnea materia, vel sola, vel maxima ex parte, donec salus restituatur, vescenda est²: contraque, si incitatio ejus, vel quavis alia incitantium potestatum, vel sanguinis abundantia, adaucta est; tum sola, e plantis parata materia, est utenda³.

POTIO, ad hoc quoque caput attinens, multiplex est; ut varia vini, varia liquorum spirituorum, et validarum cerevisiarum, genera. Modica talis potionis usus in secunda valetudine salutaris, in debilitate necessaria⁴, in opportunitate ad sthenicos morbos, hisve ipsis, diathesin augendo, noxae est aut perniciei⁵.

In secunda valetudine vinum, tribus aut quatuor cyathis tenuis, spiritus large dilutus, post prandium et coenam, post escam quamlibet cerevisiae, sumenda videntur. Quorum omnium usus est, digestionem expedere, et indirectam, e permanente cibi stimulo debilitatem, prohibere.

In debilitate, quo certius ad secundae valetudinis modulum incitatio perducatur, ex relatis potionis formis, vino maxime convenient, quibus fere omnibus, Madeirense, idque hujus genus, quod LONDINENSE speciale dicitur, fere praestant. Sacerdos nephritide laborans, ex morbi dolore, et quibusdam animi affectibus, in magnam debilitatem implicatus est. Cum semper perquam cibi et potionis parcus fuisset, eoque vinum pro remedio oblatum recusaret, magna tamen hujus copia mediocrem valetudinis statum, tantamque, quantum localis renum affectus recepiebat, re-

¹ Kentish's experiments on bark, p. 105, on regimen.

² Brun. elem. med. cxxiv. cccii. ³ Ibid. ccclxii.

⁴ Ibid. ccclviii. ⁵ Ibid. ccclxiv.

duxit. Haec curatio in Indis Occidentalibus peracta est. Ibi-
dem navis praefectus, communi illius coeli febre, quae prius sy-
nocha adparet, dein cito in indirectam debilitatem currit, im-
plexus, postquam in primo morbi stadio antiphlogisticis auxiliis;
cortice in secundo, curatus erat; morbus tanto pejor factus est,
ut medicus, sub noctem decedens, ante proximum mane mortem
aegrotantis praenunciaret. Sed, cerevisiae validae Londinensis,
quae PORTER dicitur, aegrotantis rogatu, tantum datum, quan-
tum ipse volebat, et dein continuatum, cum magna denunciato-
ris admiratione, morbum penitus sustulit. Amicus meus et con-
discipulus, Kewley, M. D. Liverpolensis, post madefactum plu-
via corpus, omnibus typhi symptomatis implicatus est. Vini O-
portuensis lagenas singulas in singulos dies dedi; quod, cum dif-
fusibile laudani et camphorae stimulo, et quandoque spiritu
conjunctum, salutem reduxit. Pulsus, qui centeni et viceni, vel
etiam deni amplius, debilesque et exiles, fuerunt, post ternos vel
quaternos cyathos vini calidi sumptos, ad nonagenos vel centenos
unoquoque minuti spatio redibant, validioresque et maiores pro-
rata parte siebant. Cum igitur plurima validae potionis fructus
hujusmodi exempla sint, eam rectam igitur stimulum esse, neuti-
quam dubitandum est.

CONDIMENTA similiter agunt; cuiusmodi facchum, fal, piper
nigrum vel Cayennense, sunt; ut “lingua insignibus et pulcher-
“ rimis papillis instruitur, quae proxima gustus fides videntur
“ esse. Haec inter gustandum elevantur, eriguntur, quo acutio-
“ rem sensum habeant.” Nam, “linguam stimulant, melius-
“ que gustare faciunt, quo gratior cibus evadat, ipse forte pa-
“ rum saporis habens: quin et ventriculo quoque stimulo sunt,

² Clar. Gregor, conspect. med. theoret. 198.

“ et sic concoctioni, praesertim si ille debilior fuerit, opitulantur:
“ neque bene concoquitur, si condimenta solita negata fereunt .”

CHYLUS, absorbentibus vasorum lacteorum finibus acceptus, et
iisdem ad cor, dein, in SANGUINEM, nondum cognita operi-
ratione, mutatur. Qui, qualis ejus ratio mutationis sit quamvis
ignoratur, mutatus tamen, stimuli demum vi ², distendendo vasa,
fungitur. Quod ita esse, pulsuum in utraque diathese et secun-
dissima valetudine status declarat. Qui in asthenica diathesi fre-
quentiores sanis ita sunt, ut minime asthenicorum pulsuum cleri-
tatem attingant, et saepe in adultis 90 aut 100 raro 110 singulis
minutis excedant. Idem duri, pleni et valedissimi reperiuntur,
eodem, vultus rubor, spiritus difficilis, et cutis ardor, pertinent.
Quae res, vasa sic distenta ad actionem vehementem commoveri, et
sanguinem majore vi et validiore impetu toto corpore percitari,
demonstrant. Hinc pulsuum durities, et plenitas ³ et spirandi;
ruente rapide per pulmones sanguine, labor, exoriuntur. Quin
et sanguinem bonum, qualis exhalantibus arteriolis disfluere non
periclitetur, copia distendente nocere, ejusdem una detractio, su-
bito lenimen, saepe salutem efficiens, evincit ⁴. Postquam pul-
sus minus frequentes, molliores, exigui magis et debiliores pro-
tinus evadunt; spiritus expeditur, vultus refrigeratur; et, ubi
plus etiam detrahitur, pulsuum tranquillitas, debitum cum mol-
litie robur, et spiritus facilitas restituuntur. Cumque jam ex to-
to salus est reducta, pulsuum in adulto numerus vix 70 vel 5 aut
6 amplius, unoquoque minuto, superat.

In diathesi asthenica, ubi fanguinis penuria est ⁵, pulsus celer-
rimi, saepe a 120 ad 140 singulis minutis adscendentibus, item pra-

¹ Gregor. conspect. med. theoret. 615.

² Jones's inquiry, p. 68.

³ Brun. elem. cxxxii.

⁴ Ibid. cclxix.

⁵ Ibid. cxxxiv.

ratione molles, exiles ¹, spiritus celer, et exiguis, calor saepe, quam in altera diathesi, minor aut cum inaequalitate, sive morbi tempora, sive corporis partes, spectantur, aliquando nullus, est ubi summus ², evadunt. Cujus celeritatis pulsuum causa praecipua est, inopia sanguinis, eoque justo minor distentio. Unde, cor et arteriae minus stimula*ta* ad crebriores contractiones, ferruntur, ubi, propter stimuli defectum, satis magna copia non est, quae ad plus sanguinis trajiciendum, et plurium contractionum necessitati supersedendum, evaleat. Sanguinem, abundantia diffidente, stimulare, amicissimorum mihi juvenum, Jacobi M'Donnell, M. D. Hiberni, et Caspari Wistar, M. B. Americani, experimentis porro firmatur. E tribus vitulis, cum alterius in alterum sanguis esset transfusus, ille in rectam debilitatem incidit; hic sumnum vigorem, aliquantulum ad indirectam debilitatem vergentem, adeptus est. Inter hoc faciendum periculum, admota manu, validius quam ante cor pulsare percipiebatur, et difficilior spiritus evadebat. Simul ac maxima sanguinis pars e priore in alteram animantem transfusa est, in illam, scilicet, recta debilitate laborantem, tertii vituli sanguis infusus est. Quo facto, et sanguine jam in vacuefacta vasa recepto, is mox vividior, dein magis usque, fiebat, expediebatur spiritus, cauda, quod laetitiae signum est, agitabatur, ipse adsurgebat, et tertio jam, ob sanguinis jacturam, expirante, emissus demum manu, integra prope salute reducta valebat.

Quod ad **HUMORES SECRETOS**, ut stimulantes, attinet. “Secretiones” inquit vir ingeniosus “pleraeque perpetuae, et ad vitam et sanitatem necessariae. Sunt tamen quaedam, scilicet quae generationi inserviunt, aut nutrimento novi animalis, quae certo

¹ Brun. elem. med. eodem loc. et clxxix,

² Ibid. clxxxiv.

"tempore incipiunt et desinunt, et certo stimulo inducuntur ¹?" E secretis humoribus tres tantum priores, nempe, bilem, semen, et lac, commemorabo.

Bilis mihi solus usus esse videtur, intestina ita stimulare, ut motus peristalticus rite peragatur, ab humore alente pars, stercorofa segregetur, et digestio adjuvetur. Quod ita esse, haec in Ictero et symptomata declarant, digestionis pravitas, alvi compressio, stercoris, quicquid redditum est, durities. Quae omnia, propter bilis absentiam aut inopiam, accidunt. Contra, in Cholera, ubi nimis bilis abundat, nimis quoque, sed, versa debilis primarum viarum fibras, actione, stimulat.

Semen etiam in primo opere stimulus, et inter potentissimos, est, eum pro copia fere trahens effectum. Hinc bene alti, et plenius ac uberius viventes, item juvenes, quorum, ratione hujus stimuli habita, incitabilitas media est ² simul, et par stimuli gradus; vis in amore et magna in venerem proclivitas est. Ineunte aetate, ubi maturius justo concubitus inchoatur, et incitabilitas, copiosa nimis est, stimulus, licet avide desideratus, minus tamen perfertur ³. Hoc tempore seminis stimulus, pulchritudinis stimulo flagrans, adeo incendit adolescentiam, ut, dum rapide in voluptem, tanto dulciorem, quanto nova magis est, laxitis fraternis ruunt, simul mores corrumpant, et corporum vires frangant. Qui effectus, caloris stimulo modo relati, ut in Indorum Occidentalium adolescentibus usuvenit, in infaniam propemodum adigit. Provecta vel confecta aetate, cum jamdudum, tam propter amoris, quam aliarum potestatum insitantium, diutius justo, anteaacta vita, continuatum, stimulum, detrita incitabilitas est, unaque alimento et aliis stimulis corpus minus jam minusque sustentatur,

¹ Gregor. conspect. med. Theoret. 707. Brun. element. med. cxxxvi.

² Brun. elem. med. xxv.

³ Ibid. xxvi.

deficiente semine pro ratione decrescit incitatio. Itaque media et juvenili aetate magnus vigor vix, utroque vitae **extremo**, facile in morbos, et faepe graves, deflectit ¹.

Lactis abundantia, cum sanguinis, inde, aut et ab aliis stimulis nata, conjuncta; ad asthenicam diathesin augendam pertinet, sed vix ad indirectam, nisi locali in mammis facto vitio, pervenit ². Ejusdem defectus, a consimili sanguinis, unde conficitur, defectu, debilitato etiam inde, aut aliunde, reliquo corpore, suboriens pes- simos asthenici generis morbos concitat ³.

S E C T. II.

DE STIMULIS INTERNIS.

STIMULORUM internorum primi, et praecipui, sunt animi ad- fectus ⁴. Ex his,

IRA ex eorum numero est, qui excitantes, id est, vim vitalem augentes ⁵, nominati sunt. Eadem, cum ad id magnitudinis, qua furor adpellatur, adscendit, adeo potenter in incitabilitatem agit, ut indirectam debilitatem, et mortem ipsam, pariat ⁶: Cujus, quoniam hujus operis fines fusio rem explicationem non recipiunt, uno aut altero exemplo, contentus ero. Anno 1783 hyemali tem-^{in 9} pore, aliquis mulierem, ad Theatrum regium Londinense DRU-^{mul} RYLANE nuncupatum, concitans, injuria nonnullorum, a quibus illa insolentius et contra decus excepta erat, exasperatus, tam propter contumeliam, tam quod nulla hanc eo tempore ulciscendi

¹ Brun. elem. xxv. ² Ibid. cxxxvi. ³ Ibid. cxxxvii. Jones's inquiry p. 114.

⁴ Elem. med. cxxxviii. cxxxix. ad cxlii.

⁵ Greg. confsp. med. theoret. 342, 1203. ⁶ Ibid. 55. 342. 1203.

facultas dabatur, apoplexia, simul ac muliebrem domum ingressus est, correptus, protenus expiravit. Quae res, idem irae operae eandem agendi vim, ad directorum stimulorum, de quibus super relatum est, esse, et a nimio hoc stimulo, sicut et illis, incitabilitatem consumi, atque etiam irreparabiliter, posse, demonstat. Plurimi huic similia exempla, nisi brevitati studerem, ex communi vita medium adferri possent. Rursus haud raro accidit, ut ira rixantes ad insaniam adigat, idque incitationem supra omnem modum intentando: quid enim, si non in fania, est, homines ad gladios educendos et mutuo se jugulandos, impelleret? In mulieres, quarum incitabilitas virili fere abundantior est, furor adeo violenter agit, nisi subsidio lacrymæ proveniant, cito, propter incitationes ad indirectam debilitatem pervectam, in animi deflectiones, saepe justam hysteriam, incident. Eodem pertinet puerilis animi mobilitas, ubi ex livissimes rebus ira, gaudium, dolor, subit inter se vicibus succedunt, abundantem incitabilitatem perexiquum stimulo, cito summam, quam talia corpora recipere possunt, incitationem nancisci, demonstrans¹. Eandem rem confirmat summopere adveniens ex ira gravi vigor, et longe salutarem superans quo in casu tanto vis major, quanto cordis et arteriarum auctor fit, suboritur, omniaque thenici morbi, sine pyrexia symptomata fuscitantur.

GAUDIUM a medicis jure pro potestate stimulante universis ferme habitum est². Idem eodem modo, in incitabilitatem, quo relevantur, quos jam relatios stimulos, agere, si affectus, quos edit, considerantur, haud dubitabitur³; quippe quod subito, aut supra modum, incidens, apoplexiā et mortem concitet⁴. Nec eoderum non pertinet, quod certa pinceps Germanica, cum filia ejus a po-

¹ Brun. elem. med. xxiv.

² Gregor. confsp. med. theoret. 342. 120.

³ Ibid. 55. 343. 1203.

⁴ Jones's inquiry p. 114.

tente rege in matrimonium esset petita, et tanta praeter omnem spem, licet sponsa, quae nunc etiam vivit, quavis fortuna dignissima esset, laetitia contigisset, adlato nuncio, in apoplexiam et subitam mortem incideret. Idem fatalis finis pauperibus quibusdam, grandem supra fortunas et praeter spem pecuniam publice fortis, et ex eadem causa, accidit. Neque hoc in casu mulieris Romanae quae superstitem, Cannensi cladi filium, et salvum, domum receperat, quem, ante deploratum, conclamaverat, subitum ex nimia laetitia fatum obliviscendum est ¹. Ut igitur magnum subitumque gaudium tantopere nocet, et, p[re]a[m] magnitudine, ire ad mortem potest; ita, paulatim admotum, et intra modum cohibitum, gratissimus pariter stimulus, et in primis salutaris, evadit. Exempla gratia, sit aliquis morti condemnatus, ad patibulum deductus, et, circumdatoreste collo, tecto funebri pilio vultu, quid, post aliquam sic desperatarum rerum moram, adlato vitae condonatae repente nuncio, sequeretur, quis animi foret status? Quid aliud, quam, ut metu, desperatione, et similibus affectibus, altioribus stimulis suspensis, incitabilitas tantopere accumularetur, et incitatio pro ratione imminueretur; ut haec, per subiti gaudii vim, cito medios secundae valetudinis, et sphenicorum morborum periculi, dein horum ipsorum gradus omnes superans, in indirectam debilitatem, et mortem demum, rueret. Contra, si tam laetus nuncius paulatim esset delatus, paulatim quoque et pro ratione, crescens incitatio, vel in secundae valetudinis punto constisset, vel, hoc minus multum superacto, longe infra indirectam dibilitatem, et periculum mortis, permansisset.

AMOR a medicis, modo excitans, modo deprimens, seu contristans, affectus existimatur ². Verum enim vero, eandem po-

¹ Livii hist. Rom. et Brun. elem. med xlvi.

² Greg. confsp. med. theor. 342. 1203.

testatem duabus rationibus, iisque diversis, agere posse, opinio discrepat, et sanae philosophiae repugnat. Cujus medicorum erroris nullam aliam causam videre possum, quam illorum rectam inter et indirectam debilitatem discriminis ignorantium. Eodem fane modo stimulus amoris, quo reliqui relati, agit, et si quando eam debilitas sequitur, haec indirecta sit necesse est. Et, licet deprimens et sedans effectus judicatus fit; ex omnibus, quae jam exposita sunt, neque illum, neque quamlibet in natures potestatem, animantium actionem quamvis, absoluta vi propriaque natura, sedare, ¹ dandum est.

Amor triplicis generis magna ex parte est; is, qui parentes inter et liberos et mutuos inter hos; isque, qui marem inter et feminam, sanguine non conjuctos, intercedit, et is denique, qui amicitia nuncupatur.¹

Qui parentes proli adligat, amor paulatim inchoatus, hae fere ratione crescit. Recens, natus, misellus, tener, inops, infons, matris risu affectum, vagitu misericordiam, adlicet. Qua dulci consuetudine procedenti; officia materna ejus in parvulum charitatem indies augent. Per eadem, puer, ubi sibi circumposita jam cernere et, praeceteris matrem, cognoscere, potest; eam, quasi notorum demum beneficiorum memor, omnibus aliis anteponit. Qui quidem est in puero abundantis incitabilitatis effectus. Idem dein in alterum parentem, et alios familiae, coquemagis, quo ab iis fotus et oblectatus sit, extenditur.

Mutuos inter fratres amor hoc modo progreditur. Maximus quisque natu, tener adhuc, modo relatae officiorum consuetudin primus assuescit; huic proximus succedit, et pari affectu materno fovetur; quem tertius dein, et sic deinde, excipit. Unusquisque

maternae charitatis successorem, ut aemulum suum, suspectui pri-
mum habet, quis aut quid sit requirit. Tandem inter utrumque
familiaritas inchoatur, et, amoris in incitabilitatem stimulo ope-
rante, fraternalm charitatem parit. Hanc minor quisque natus
in majore cernens, quasi bonitatis ejus conscius et memor, simili
bonitate, quantum aetas patitur, rependit. Cumque jam uterque
ingredi et discurrere possint, lufitantes, alter alterum, oblectare
gaudent. Qui affectus per reliquam dein vitam permanens, ut
major inter eos, quam alienos, charitas obtineat, efficit.¹ Et, quo-
ties mutuo rixantur, rixarum causa est ea incitabilitatis abundan-
tia, quae ex levissimo quoque stimulo cito ad summam, quam is
status recipit, incitationem pervenit²; dum reconciliata gratia et
amoris redintegratio, quae celeriter succedit, ita, ut ante, expli-
canda est. Postremo mutuus sexuum affectus plerumque paula-
tim procedit, primam a maris in foeminam obsequio, colloquio-
que incipiens, mutua amicitia gignitur; huic succedit amor.
Quo caepto praefentia utriusque voluptati est, absentia dolori, et
quoties, utervis alium in pretio habere videtur, solicitude et
metus. Dehinc morbo se laborare incipiunt intelligere. Juve-
nis puellae amorem fatetur; haec, primum adversari simulans,
ardorem illius incendit, ille magis urget, haec minus, minusque
repugnat, tandem morem amanti gerit. Quae mutui amoris
confessio, iteratis saepius et cumulatis osculis, eo magnitudinis
incitationem provehit, ut nunquam, nisi, ubi una et soli sunt, so-
licitudine careant. Ad hanc absentiae incommodum superan-
dum, dies, quo nuptiae celebrentur, dicitur; una vivunt et pro-
lem procreant. Haec mutui parentem amoris parlem in se de-
rivat. Aliquando tamen repentinus magis amor, praesertim in-

¹ Elem. med. xxvi.

ter júniores, est; quippe quorum, quam aetate provectionum, incitabilitas abundantior incitationem ilicet attollat, et supra relata efficiat.

S E C T. III.

DE STIMULIS DIFFUSIBILIBUS.

STIMULI DIFFUSIBILES sunt Electricitas, Opium, Æther, Camphora, Moschus, Alkali volatile, Aſſafoetida, Potio vinosa et spirituosa; dein, quae diffusilibus et diuturnioribus quasi media sunt, Cortex Peruvianus et Zincum ¹.

ELECTRICITAS horum omnium potentissima, in omnis debilitatis, five rectae, five indirectae, genere est. In recta debilitate et morbis ex hac pendentibus, cuiusmodi sunt, menstruum suppressione, chorea sancti viti, et similes sunt, hoc remedium prius modice, dein paulatim liberius et largius, adhibendum est ²; in indirecta, ut paralyſi, usus ejus inverso vitu procedit; ut primum largissime, dein, decrescente morbo, paulatim parcus, ad perfectam curationem et reductam salutem, dandum sit ³. Eandem potentissimum stimulorum esse, ut ex fulgore, apoplexiam et mortem pariente, constat.

OPIUM, electricitati magnitudine proximum, utilitate praefans, omnium stimulorum maxime momenti est ⁴. Hoc plerique medici negant et sedans esse contendunt; alii, inter quos Culjenus celebris est, et stimulans et cedans esse differunt. Quaoꝝ

¹ Elem. med. cxxvi.

² Ibid. cvii.

³ Ibid. ciii. Jones's inquiry p. 60.

⁴ Ibid. p. 71.

rum opinionum haec a philosophia fana pariter et sensu communi abhorret. Quid enim absurdius esse potest, quam eandem rem duplice agendi potestate eodem tempore praeditum esse, dicere ¹? Adeo pulsus opio non frequentiores redduntur, ut e contrario crellimos pulsus, quales in febribus existunt, in modicam protinus, opio dato, mox in salutarem, frequentiam redigi, perpetuum sit ². Neque corpus, nisi ante forte frigidius, opio calefit. Mensis vero serenitatem et ingenii augmen laetosque jucundos sensus eidem testanti, lubenter assentio. Opium cor et arterias quidem, sed non eodem, quo ille dicit modo, stimulat. Quod ille dicit de libero per sensorium commune fluxu, nisi ad antiquam suam sententiam redierit, et in humore nervoso per nervos fluente vim vitalis positam, respiciat, ignoro. Sed ipse jamdudum hanc sententiam vel repudiavit, vel repudiasse credi velle videtur. Haec de ejus, quantum nobiscum stimulare opium dicit, opinione dixisse satis fit. Ut sententia ejus de opii stimulo sic, ut dictum est, mixta vero falsa est; ita, quicquid de sedante opii natura animo conceptum verbis expressit, id omne et funditus falsum esse, pariter a ratione et rebus veris abhorrere, contra utrisque adversa

¹ In ipsis magni viri verba, "The effects (of opium) are these. First, a frequency of pulse, after which, the body is sensibly warmed, generally with a redness and flushing of the countenance. While these effects proceed, a serenity of mind ensues, and a lively imagination, which, when it occurs, is almost constantly of the cheerful and pleasurable kind.

Porro, "1st, The stimulant power is exerted on the heart and larger vessels, whence the frequency of the pulse, heat, and flushing. Next the stimulant power is exerted on the *sensorium commune*.

Iterum, "It may be demonstrated," ait, "that a free flow through the *sensorium commune* is always attended with serenity of mind, in opposition to chagrin, and that on the same free and equable flow depends the lively, the cheerful, and pleasurable imagination. These are the effects of the stimulant power. Cullen's lectures on the *materia medica*, p. 284, and 285.

² Jones's inquiry p. 48.

fronte repugnare, cum bona ejus venia, contendō. Quārē sic credit, causam ipsius verbis exponām. Ille “ jucundam” inquit, “ imaginationem saepe taedium follicitudo, sequuntur, sensus “ imperfecti videnter, imaginatio falsa, delirium et ebrietas su- “ boriuntur ”.¹ Quae omnia sedanti opii facultati tribuit. Ves- rum enim vero, si magnus iste indirectam debilitatem novisset, longe aliter sensisset². Ubi cunque enim opium sic pro certo egit, effectus nimiae copiae datae, incitabilitatem exhaustienti, et indi- rectam debilitatem creanti, tribuendus est³. Sed hujus rei verae, quae non opio propria, sed omnibus stimulus nimiis communis est, ignorantia in causa est, quod sedantem tam opio, quam aliis po- testatibus, quarum etiam classem fecerunt, actionem tribuerint⁴. Ad quod probandum, eidem doloris consopiendi virtutem impu- tarunt. Qui tamen ejus effectus tantummodo in asthenico dolore: cernitur, cum in asthenico vis opio non solum dolorem, fatentibus iis quorum haec opinio est, aderuget, sed justam phrenititem ac- cedit, et, ut indirecte debilitans noxa, ad ipsam mortem progre- diatur, efficit. Idem aequa delirii asthenici remedium efficax est. Ejusdem, in accessionibus podagrae non solum prohibendis, sed tollendis, eo magis miranda virtus, quo minus tantam curatio- nem vel ab opio, vel a quovis remedio, ante novam doctrinam re- pertam, quisquam omni tempore ausus fit separare. Tollit opium inflammatorium in artu symptoma, propterea quod hoc astheni- cum est, tollit dyspepticam ejusdem in ventriculo statum, etiam a pura debilitate pendentem; tollit veram morbi causam, quae non plethora, et vigor, sed contra toto corpore justaque debilitas, est. Quam rem in ipso novoae doctrinae REPERTORE BRUNONNE ipē ego, et

¹ Cullen's lectures on the mat. med. p. 284.

² Kentish's experiments on bark, p. 72.

³ Brun. elem. xxix. xxx.

⁴ Ibid. cxxvi.

praeter me complures discipuli ejus, condiscipuli mei, demonstata-
tam vidimus. Is, inter suis praelegendum, gravissima et violen-
tissima, in dextro cubito, morbi accessione, noctu prehensus, som-
noque p̄ae dolore excitatus, cc. protinus laudani guttas iv. hora
matutina sibi dari, et quinque circiter dein horis totidem amplius
iterari, cum jussisset, dimidia hora p̄st, optimam, quam unquam
ante, praelectionem; cum sommo corporis, summo animi vigore,
pulsa penitus, tam e reliquo corpore, quam ex cubito, morbo, et,
quasi ipso fese major, mirantibus omnibus, qui eum eo die audi-
verunt, habuit. Quod idem saepius ante factum ab illo, et cum
pari facilitate, ad summam effecit, ut quartus jam annus agatur,
et prope exigatur, ex quo nulla non accessio, similibus fere tem-
poris intervallis prohibita, et penitus in eo sublata sit, qui ante, so-
ita ratione curatus, inter claudicandum et sumnum cruciatum
preferendum, vix 14 totus anni dies justa aegri pedis integritate
fusus est¹. Idem fructuosum imprimis in aliis omnibus debilitatis
paulo gravioris morbis, maximeque in colica pictonum apud Indos
Occidentales, est; in qua ipse grana v. bis eodem die felicitur pra-
epi. Idem largissime datum in rigidissimo tetato miranda virtute
emedium est. Regula dandi est, neque pondus neque mensu-
am morari, sed usu ejus prius non desistere, quam funditus mor-
bus sublatuſ sit. Quae res medentibus apud nos notissima et cer-
tissima est.

AETHER diffusibilis quoque stimulus est tam in reliquis de-
bilitatis morbis, quam in dyspepsia, hysteria et similibus; in qui-
us fructuosissimus ejus usus est. Cujus rei in testimonium, ut,
revitatis causa, multa alia praetermittam, proiectae aetate vir-

¹ Vid. præfat. elem. med. et Jones's inquiry into the present state of me-
dicine.

gini hysteria, longa febre, et symptomatis dyspepticis laborant et, ante meum adventum, sumpto pridie emetico, eo imbecillitatis redactae, ut in lecto erecta sedere nequiret; vini aliquid, canticum peruvianum, et, ter quaterve die, elixir paregorici, secundum Phar. Lon. guttas L. praecepi. Quibus auxiliis unum aut alterum diem secunda valetudo cum restituta esset; et redintegrato tantum vi morbo, ut, sine animae defectionibus erectam lecto brevissimamora sustinere se non posset; vini amplius, juscula lauta, et aetheri guttas xx. primo die danda curavi; posterisque diebus quotidie aetheris guttas xv. vel xx. donec summa ad c. perducta est, adauit et fugavi penitus morbum.

CAMPHORA utilissimus quoque et potentissimus ¹ in omnibus morbis, ubi reliqui valent, stimulus diffusibilis est, eodem operagens. Gratissima ejus ventriculo forma bolus vel emulsio, dum modo rite dividatur, sin minus, pariter ingratus est.

MOSCHUS licet opido potens stimulus fit; quia tamen plerumque gustui praecipue ubi incitabilitas plurimum abundat, qui in casu animae defctiones ab eo concitari vidi, et quia nimio pretio parandus est; ob has causas, maximeque, quod omni ejus virtutis parti opium, quod melius et potentius stimulat, bene superfedet, huic igitur plerumque posthabendus videtur.

ALKALI VOLATILE, sive extrinsecus, sive intus datur ², egregi potens stimulus diffusibilis est: summo corpori admotus rubefacientis vice fungitur, naribus haustum manifesta fide stimulat. Intus sumptum, summopere in omnibus debilitatis morbis, maxime quorum symtoma praecipuum, ut hysteriae et similium, in canale alimentario dominatur, summum fructum adfert. Culle

¹ Jones's inquiry p. 63.

² Clar. Gregor. conspect. med. theoret. 1221. Brun. elem. med. xxvi.

nus celeb. in suis de materia medica praelectionibus ¹ “ propter “ volatilitatem,” inquit, “ et subtilitatem, citissimum ventriculo in “ affectibus nervosis antispasmodicum est; quos, saepe,” ait, a podagra dependere, dixi. Si igitur ii affectus a podagra, quod eo minus inficias ibo, siquidem omnes morbos vel asthenicos, vel sthenicos esse, et ad duas formas redire, compertum est, pendet: Podagram, tam a reliquis stimulis diffusilibus, quam ab ipso opio, quod, ut supra retuli, omnium in omni casu optimum est, ipso, si reputet, Culleno judice, tolli posse, sequetur.

ASSAFOETIDA priorum stimulorum virtutem haud parva ex parte possidere videtur, maximeque in hysteria, dyspepsia, et similibus canalis alimentarii affectibus, usui esse solet.

POTIONIS VINO SAE ET SPIRITUOSAE vis stimulatrix fusius ante explanata est, nisi quod, ad varias ejus partes diffusibiores reddendas, largior ejus copia et major vis, adhibenda est ². Quo facto, in magnae debilitatis morbis, ne febribus quidem, ubi satis aliquis ad earum curationem mature accessit, nec gravissimis ipsius podagrae accessionibus, exceptis, saepe aliis stimulis diffusilibus, ipsoque opio vix opus fore, et potio valida debito ritu ingesta, ad salutem sufficere plurimis experimentis comperta est.

CORTEX PERUVIANUS eo sub hoc caput redactus est, quod ad eosdem morbos, quibus alii stimuli medentur, solvendos, pertinet, eoque eandem agendi vim, magis minusve possideat necesse est ³. Cujus tamen longe minor, quam illorum, virtus est; quippe quae non solum in graviorum ardentis plagae, sed etiam Britanniae longe leniorum, intermittentis et remittentis generis, febrium

¹ Pagina 318.

² Elem. med. cxxvi. cclxviii.

³ Vide Kentish's experiments and observations on a new species of bark.
pag. 22, et 297, ad 104.

saepius deficiat, quam ad sententiam succedat; cum e contrario diffusibiores stimuli, supra relati, praeter omnium spem easdem prospere curare nuper explorati sint¹. In usu hujus medicinae dupliceter medici sese fefellerunt, scilicet; non satis ejus dando, et, commixta ea cum potentioribus stimulis, soli ei curationis, quoties accidit, fructum tribuendo. Quod ad formam dandi cortices attinet, extractum ejus, quam simplicem eum, dare convenientius est; cum enim ipse cortex datur, supervacuae materiae cum efficace conjunctae copia, necessario hausta, ventriculo integrata evadit, quod incommodum facile, extractum dando, vitatur; ubi tantum medicinae in drachmae pondere, quantum in pulveris uncia dimidia; eoque pro ratione ventriculo levius futurum, ingeri potest. Quo illustrior haec res fit, fratris mei Thomae Lynch Antiguensis, medici, filii casum, qui mense Februario 1783, cum puer duos annos et dimidium agebat, a patre tractatum exponam. Pueri primum catarrho laborantibus, qui aliquamdiu permanxit, vesicatorium tergo admotum est. Quo facta, sublatoque cibi desiderio, re proprius aspecta, cynanche maligna coepisse, pars cui admotum vesicatorium erat, gangraenosam speciem prae se ferre, tenuemque humorem et ulceratas cutis partes emittere, cernebantur; cujus in remedium sequens mixtura praecepta est.

Recipe, Extract. cort. peruv. moll. drach. iij. camph. gr. viii. tinct. cort. peruv. huxh. unciam unam, aq. bullient. uncias iij. misce cochl. j. omni semihora, vel omni hora sumend. Postero die ulcus in gutture deminui, in tergo meliorem materiam emittere, etiam tum percipiebatur. Qua medicina X. die

¹ Brun. elem. med. et in praelectionibus, literae Joan. Wainman, M. D. in paludibus Lincolnenibus hanc rem confirmant.

continuata, et tanto corticis, quantum ejus contriti librae aequi-paranda est, si quindena extracti grana singulis pulveris drachmis paria esse computentur, dato et leniter ventriculum adfici-ente, puer convaluit, et nunc quoque, secunda, spero, utitur valetudine. Convenientissima febris malignae, praecipue sub calidis coelis, curandi ratio haec mihi videtur.

Recipe, Extr. cort. peruv. moll. unc. ij. vin. Madeir. Ibis, misce Cyath. pro dos. omni semihora vel omni hora.

ZINCUM, sub hac operis parte eo tractare visum est, quod manifeste stimulat. Sic in nervosis et convulsivis affectibus, gravis v. vel vi. tenus datum, potentissimum, quod scio, remedium est. Ad quam rem explicandam, e plurimis, quae mihi in morborum curationibus in Insula Antigua contigerunt, exemplis, uno aut altero contentus ero. Puellae X. annorum, perquam tenero habitu, cum in Choreaam sancti viti incidisset, et consuetis remediis, scilicet, cortice peruviano, valeriana, et caeteris, frustra curata esset, experimenti gratia, paucae Zinci pillulae, singulae singula grana habentes, datae, symptomata cito lenierunt, et, post aliquam moram, penitus fustulerunt. Alter mulieris, perquam tenero et excitabili habitu casus erat: Illa paucis, post alterum partum, qui perierat, diebus, ex fame, nam cibum pariter et medicinam, venenum metuens, obstinate recusaverat, in formidanda et mortis periculo plena, symptomata implicata est. Cum sic se unum aut alterum diem habuisset, Zinci Florum grana vi. per vim detrusa, tranquillitatem ejus restituerunt, et ad cibum capendum alexerunt; et saepius iterata medicina, falsa eam formidine liberavit, et solitam cibi capiendi potestatem reduxit. Tertius viri casus erat: Cui febre intermittente quotidie circa meridiem repetente, item magno capitinis dolore, gravibusque vultus et cervicis motibus convulsivis, cum unaquaque febris accessione

advenientibus, et in intervallis desinentibus laboranti, cum aliquamdiu frustra cortex datus esset, circiter gr. vi. cum camphora et assafoetida, ante uniuscujusque accessionis initium, data, et cortex in intervallis continuata, salutem reduxerunt, cumque bimatum aut triduum Zinci usu destitutus esset, febris quidem, sed fine gravibus symptomatis rediit.

Haec de praecipuis stimulis diffusilibus praefato, reliquos, qui commemorari poterant, ideo praetermittere visum est, quod, cum omnium communis magna ex parte natura sit, et eos quoque intelligendos, supra relata, judice me, et proprius respectata sufficiunt.

C A P. III.

DE INDIRECTIS VEL DEFICIENTIBUS STIMULANTIBUS.

Sub indirectorum vel deficientium stimulorum numero comprehenduntur eae potestates, quae, licet, aliquantum stimulent, non tantum tamen id faciunt, quantum satis sit, ad incitationem ad medium punctum, vel 40° attollendam: quorum alii tantum ad opportunitatis punctum, alii supra hoc, incitationem imminunt; alii eandem eo depremunt, ubi mites, alii eo, ubi graves, alii ad eam seriei partem, ubi gravissimi morbi asthenici positi sunt, deducunt. Potestates, hic comprehendendae, in tres sectio-nes, ut in priore capite, nempe, externorum, internorum et stimulantium remediorum, dividentur.

S E C T. I.

DE STIMULIS EXTERNIS.

FRIGUS horum omnium stimulorum primum tractandum est. De quo, cum de calore ante agebatur, quia fusius est tractatum, nihil fere nunc addendum restat, nisi ut, in frigore stimulantem ¹, et non sedantem vim inesse, demonstretur ². Ad hoc illustrandum, sex temperiei gradus eodem tempore, 64°, 50°, 40°, 30°, 20°, 10°, constituantur; ponatur aliquis in 10°, ruet subito incitatio; ponatur in 20° et incitatio, pro temperiei mutatione attolletur; in orbem omnium aliorum punctorum, per vices, reliquis omnibus objiciatur; constans ejus rei effectus erit, ut summam refrigerationem primum passus paulatim ad debitam temperiem, eoque secundae valetudini convenientem, perducatur. Iterum funto sex homines, omni ex parte ejusdem aetatis, ejusdem constitutionis, et in eodem prorsus incitationis gradu positi; quorum singuli singulis temperiei punctis relatis objiciantur, et effectus perpendatur. In 10° frigens primus omnium interibit; huic proximus in 20° positus; punto 30° patens non tam cito extinguitur; qui vero 40° vel 50° sunt objecti, ii in diathesos astheniae gradibus, pro ratione diversis, restabunt; 64° temperiei gradui patens perfecta utetur valetudine. Quae res, sicut varii frigoris gradus sunt, sic idem paribus stimulantis operis gradibus praeditum esse, frigusque non absolutam, sed negativam potestatem existere, et tantummodo caloris diminutionem esse, ostendit. Sic perpensa frigoris natura, id in omnibus asthenicis morbis, ca-

¹ Jones's inquiry, p. 69.

² Brun. elem. med. cxvii.

lorem in omnibus asthenicis, auxilio esse, consequetur¹. Ut frigus calore opponitur, et negans non absoluta, potestas esse, convicta est, sic

TENEBRAE, quae luci opponuntur, negans quoque, non absoluta agerisque, potestas, lucisque, quae agens et recta stimulans potestas est, absentia sit necesse est. Hoc variis evin- citur experimentis; quibus arguitur, minutum lucis gradum, vel certam tenebrarum umbram, aliter claro lumini affuentis, ali- ter in exiguo illo, quod tenebrae dicitur, paulo diutius positis, adparere; idque hic, scilicet, in exigua luce ob abundantem inci- tabilitatem, deficiente lucis stimulo; illic, ob imminutam nimio codem stimulo incitationem, incidere. Eodemque calor et frigus, lux et tenebrae, naturae consilio instituuntur, scilicet, ut caloris et lucis stimuli, nec ad nimiam magnitudinem procedentes indirec- tam, nec, ut in tenebris, deficientes directam debilitatem indu- cant, intermittentur. Eaque naturae creatricis cura, hominibus cum aliis animantibus, his universis cum plantis, denique omni- bus rerum corporibus, quae viva esse novimus, communis est. In quinque zonarum media in summo ardore et jubaris splendore, si calor et lux perpetua essent “nec noctes diebus, lux tenebris, “alternis viscibus inter se succederent²,” neque animantium, neque plantarum, vita ulla esse posset. Hoc modo, tam stimulis relatis, quam reliquis omnibus, quae ullam rerum vivam partem adficiunt, sub noctem suspensis, ruitur in somnum; qui stimulo- rum opus suspendit, suspensoque hoc, et redditâ luce, universi animantes, universum plantarum genus reficiuntur, et incitatio debita restituitur. Dein stimulorum opus rursus procedet, rur-

¹ Ad quod hujus rei restat, vide Brun. elem. xxi. cxvii. ccviii. et cclx. Adi etiam Illust. Black praelect. chem. Quin et haec, post Mušenbroeck par- ticulas frigorificas reflectatas, omnium est sententia.

² Brun. elem. med. cccxxi.

sus suum ad indirectam debilitatem cursum peragit; quam rur-
sus somnus, intermissa stimulatrice vi, sua causa, pellit, et rectam
mane, quodam tenus debilitatem, in magnum vigorem stimulis
diurnis vertendam, indirectae debilitati sub noctem cessuram re-
stituit.

Aliae potestates parum stimulantes sint, ut “**CIBUS E PLANTAS**
“ **RUM GENERE sumptus**¹;” item “**SALSA NIMIS DURATAQUÆ**
“ **maxime ubi jam corrumpi coepit**²;” **CARO; CONDIMENTORUM**
DEFECTUS³; **POTIO AQUOSAE**⁴; **SANGUINIS PENURIA**⁵; &c.

S E C T. II.

DE STIMULIS INTERNIS.

Cum stimulis externis, de quibus actum est, interni partim con-
juncti sunt. Ex his

METUS, quae inter affectus dejicientes a medicis enumeratus
est, non sedat, nec stimulo caret. Stimulat enim, sed minus eo
animi stimulo, qui secundissimae valetudini necessarius est ⁶ idem-
que, ut supra dictum est, de parum stimulantibus animi affecti-
bus dicendum. Ab eodem canities, ut in nescio qua charta legi
et vulgari testimonio saepius audivi, nascitur. Quin tanta metus
ad debilitandum vis est, ut teste Clariss. Duncan⁷, puer fulgo-
territus, in typhum incideret, quo, si recte memini etiam expi-
ravit.

¹ Elem. med. cxxviii. Jones's inquiry.

² Elem. med. cxxiv. Jones's inquiry.

⁴ Ibid. cxxx.

⁵ Ibid. cxxxiv.

⁷ In praelectionibus ejus.

³ Elem. med. cxxix.

⁶ Ibid. cxlii.

ANIMI FASTIDIUM SEU INGRATUS SENSUS, deficiens quoque stimulus est. Exempli gratia, eruditus aliquis cum eruditis consuetudine jungi solitus, indoctorum et vulgarium hominum confortii, si forte in illud incidit, pertaesus primum, dein, ut dicit communi utar, animo deprimitur. Eandem rem illustrat, pudicarum et honestarum mulierum colloquii et confortii jucunditas impudicarum et meretricum, licet illis formosiorum, procaci turpisque sermonis, probum animum male habentis, fastidium. Porro, cum incitabilitas abundat, turpium rerum visus, ut deficiens stimulus, agit, nauseamque et vomitum excitat. Quem sensum ipse in plateis Edinburgensis, praecipue mane ante illas purgatas, expertus sum.

Quae de deficientibus stimulis dicta sunt, ea ad argumentum nostrum illustrandum cum satis esse videantur; igitur ad proximam sectionem, transibo.

S E C T. III.

D E R E M E D I I S.

EMETICA non sedatrices, sed parum stimulatrices, potestates esse, eorum debilitandi, et validiorum stimulorum opus suspendendi maxime in ventrico et vicinis locis, vis argumento est. Hinc motus peristalticus inversus vomitum concitat. Ob quam causam, adversus omnes asthenicos affectus, et forsitan etiam asthenicos leniores, ad ventriculum, quo stimulos facilius deinde recipiat, praeparandum, usui sunt. Eoque in calidarum regionum morbis, ubi bilis semper abundat, etiam necessaria mihi videntur. Quam meam sententiam Jocabus Campbell doctissimus medicus,

et optimis medicinae principiis, ut, Brunonis discipulus, imbutus, qui nuper ex Indis Orientalibus rediit, in colloquio nuper mecum habito, confirmavit. Quam utique curationis partem praceptor noster communis, parum probat, ut illo principio, quo nunquam debilitate, curationis ergo; debilitatem addendam proponit, repugnantem: Et utut mitis debilitas sit, si ad purgandum sordidus canalem supra purgandum vel maxime vi videatur, tam debilitantem potestatem a potenter stimulante protinus esse excipiendum et jure quidem, contendit: Nosque, ut se veriore trutena hanc rem pendamus, et nihil temere, nihil nisi alto animo agitatum, recipiamus, seque dein certiorem faciamus admonet; quam ad rem explorandam attentior eo est, quod alii quoque, ut Joannes Robertson, prudens in primis in Antigua medicus, cuique doctrina nova audita alioquin perplacuit, eandem rem ad eum detulerunt. Certe ille tantum suae experientiae et observationi debet, tantillum solidi aliunde accepit, ut jure excusandus videatur si non temere in cujuslibet sive sententiam sive testimonium consensiat. Tanta gravissimae doctrinae molestes, nunquam incertis rebus et auditionibus dubiis, esset constituta.

ALVUM PURGANTIA quae humores auferendo, corpus debilitant, et in omnibus, ubi emeticis opus est, adfectibus, requiruntur, debiliter quoque stimulantia sunt. Calomelas, sal glauberianum et scammonium, optima esse videntur. Quorum primus, in omnibus phlegmasiis, maximeque peripneumonia, et synocha, longe optimus est, et usque adeo, ut, sine sanguinis detractione, grana viii. vel x. ejus cum gr. j. tartari emeticī superiori doce data, et proximo mane salis glauberiani aliquanto sustentata, plerumque illos affectus pellant. Scammonium quoque tutam et gratam medicinam, et mitissimo opere esse, aliquot me annorum docuit

experientia. Verum enim vero, quanto adversus asthenicos morbos vel supra vel infra purgantia valent, tanto in omni asthenicorum affectuum genere, cum exceptione supra relata, et ob eandem rem, nocentiora sint necesse est.

REFRIGERANTIA, medicis vulgo dicta, debiliter stimulantia sunt. Et praeceteris sales neutri et acida largè diluta. Ex illis nitrum et jalapium salinum multum, me judice, adversus asthenicos morbos, dummodo largius, ad vehementiorum stimulorum opus suspendendum, dentur evalent. Acida, plurimum diluta, gratissimam asthenicis aegrotantibus potionem, praeque caeteris vegetabile, praebent. Quarum potionum optimam, tamarindarum, recens ex arbore decerptarum, infusum est. Est ubi sales neutri et acida conjuncta potenter agunt; exempla gratia duas vell tres doses fali communis cum succae limonum, aliquanto coniunctas, et, ut moris inter Nigros est, in dysenteriae remedium datum, saepe prodeesse vidi.

Alii stimuli, tam nimis, quam parum, agentes, pro remediis memorari poterant; sed, quoniam plerorumque et praecipuum fatus actio jami ante explicata est; meoque sic proposito, quod de stimulantibus agere erat, satisfactum videtur; igitur, quotquot omitti in hac parte stimuli sunt, eorum actionum, principiis positis facile explicabilem, in medio relinquam.